



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXX. Conradvs I. Elector XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

xerunt, *caninam* jussit subire Hermannum cum sociis nobilibus, quorum nomina *Dodechinus* & *Radevicus* attulerunt. Parciturum est equidem Arnoldo, quò minùs & ipsi stadiis pluribus portandus supra humeros fuerit canis, quemadmodum portârunt iisdem testibus Comites decem; justa nihilominus reprehensio, & fortè æris multa non defuit. Seditioe deinde orta civium ob imposita nova tributa & privilegia eorundem diminuta, ab iisdem suis civibus occisus, vestibus exutus, & in fimetum fuit abjectus. D. Hildegardis Deo sacrata virgo Antistitem de fatis suis præmonuisse his verbis fertur: *Cave charissime Pater; canes enim jam dimissi sunt, qui te persequuntur.* Ignominiosissimum hoc facinus pœnis severissimis ultus est Fridericus; seditioe enim authoribus post tormenta prævia abscissa sunt capita, Moguntia mœnia diruta, privilegia extincta, & urbis pars magna solo est æquata. An. 1160. sacrilegis succubuit manibus, postquam annis 7. potiùs pugnavit, quàm sedit sub Pont. Anastasio IV. Hadriano IV. & Alexandro III.

XXX. CONRADVS I. ELECTOR XIV.

Vetus habet parœmia: ignis probat aurum, adversitas virum, Conradus I. Comes Wittelspachius contra æmulos Rudolphum Zeringensem Ducem, & Christianum Comitem Thuringum denique confirmatus Archipræsul, quanti virtutem faceret, inter sacrum & saxum medius demonstravit: suas enim in partes dum pertrahere conatus est Fridericus Cæsar, Conradi æstimator & promotor, nihilominus Conradus aurum igne, & virtutem ferro probandam esse ratus, sprexit intrusum à Cæsare Pseudopontificem, ut jus suum non negaret Alexandro III. Romano Pontifici. Quare biennio vix bene elapso sede sua pulsus advenit exul in Italiam, ubi Sabinensis Antistes à Pontifice creatus, annis 16. Italos virtutum radiis adeò illustravit, ut ægrè Germanis suum Electorem restituerint, Germani verò ardentè repetiêrunt: año namque 1180.
à Mo-

à Moguntinis inter publicos plausus in sedem suam reductus ad annum 1200. mirè profuit Ecclesiæ & Imperio, nimirum & à Pontifice & à Cæsare consiliis atque negotiis publicis crebrò adhibitus, legationes suscepit in Asiam ad Leonem Armenia Regem, & in Hungariam ad Emericum simulque Andream regios fratres de sceptro & corona dimicantes. His verò amicitia & fraternæ concordia vinculo denuo conjunctis, dum rediit in Germaniam, Passavij lethali morbo succubuit, eodem nimirum anno 1200. postquam ab exordio sui Electoratûs, aut veriùs à morte Arnoldi an. 4. inde verò pulsus & restitutus annis 20. sedit unà cum Pontificibus Alexandro III. Lucio III. Urbano III. Gregorio VIII. Clemente III. & Coelestino III. *Vide de hoc & omnibus aliis seculorum horum Electoribus Kranzium, Trithemium, Serarium, & authores ab horum ultimo cit.*

S E C U L U M XIII.

XXXI. CHRISTIANVSI, ILECTOR XV.

Pulso è sede sua Conrado Christianus I. in ejusdem locum imperante Friderico Cæsare intrusus annis 16. Moguntia præfuit, & profuit, gratiâ Imperatoris valens plurimum, imò donis & dotibus suis propriis, quibus ars & natura ritè Electorem instruxerunt; quinque enim aut sex linguarum peritiâ imbutus, & in aula Cæsaris corpore animoque magnus, dixit & scripsit multa in legationibus publicis, mirantibus Electoris Christiani eloquentiam & amplissimam rerum notitiam Germanis, Latinis, Græcis, Italis, Gallis, Belgis &c. Duo rerum capita censoriâ virgulâ perstringere non sunt veriti authores in hoc Archipræsule, nimirum quòd relicto Alexandro Pontifice, & fugato Conrado Moguntino Electore res multas aggressus fuerit longè audaciùs: quam prudentiùs! quòd item imperij res pluris æstimaverit, quàm Ecclesiæ, haud veritus in Italiam copias Cæsareas ducere, & Ducis instar